Quelle: https://manuscripta.at/?ID=126
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

Erige congestas ethaeo robore silvas.
Thessalicam videat Pompeius ab equore flammam.
Nil agis hac ira. tabesne cadavera solvat
An rogus. haud refert. placido natura receptat
Cuncta sinu. finemque sui sibi corpora debent.
Hos cesar populos si nunc non usserit ignis.
Uret cum terris. uret cum gurgite ponti.
Communis mundo superest rogus ossibus astra
Mixturus. quocumque tuam fortuna vocabit.
Hec quoque eunt anime. non altius ibis in auras.
Non meliore loco stigia sub nocte iacebis.
Libera fortune mors est. capit omnia tellus
Que genuit. celo tegitur qui non habet urnam.
Tu cui dant penas inhumato funere gentes
Quid fugis hanc cladem? quid olentes deseris agros?
Has trahe cesar aquas. hoc si potes utere celo.
Sed tibi tabentes populos pharsalica rura
Eripiunt. camposque tenent victore fugato.
Nec solum emonii funesta ad pabula belli
Bistonii venere lupi. tabemque cruente
Cedis odorati pholoen liquere leones.
Tunc urse latebras. obsceni tecta domosque
Deseruere canes. et quidquid nare sagaci
Aera non sanum motumque cadavere sensit.
Iamque diu volucres civilia castra secute
Conveniunt. vos que nilo mutare soletis
Threicias hyemes ad mollem serius austrum
Istis aves. numquam se tanto vulture celum
Induit. aut plures presserunt aera penne.
Omne nemus misit volucres. omnisque cruenta
Alite [aue] sanguineis stillavit roribus arbor. Ales. cis
Sepe super vultus victoris et impia signa